

Imaginatæ verò & opinatæ hujus novitatis non alia causa est, quàm quia præteritorum (propter vitæ brevitatem & memoriæ fragilitatem) recordatio non sit: sicut & eorum quæ in præsentiarum sunt, apud posteros qui nobis succedunt, nulla memoria futura est. Unde & illis novum & insolens videbitur, quod tamen antea actis olim seculis innotuit.

VER. 12. *Ego Ecclesiastes, quum essem rex super Israël em Jersuschalaimis;*

Hactenus de rerum vanitate in genere dictum est: Consequens est ut varias, non quidem omnes (quis enim illa oratione exsequi potest?) sed præcipuas de Summo bono opiniones exponam; Et primùm quidem quæ propria experientia edoctus sum. Atq; quò majorem oratio auctoritatem habeat, meminisse oportet, me cùm hæc disquirerem, in Ecclesiæ sinum (unde ob scelera peregrè agebam) rediisse: præterea, regiam dignitatem obtinuisse, eique populo præfectum, quem Deus peculiarem sibi delegit, & in illa urbe quæ totius mundi oraculum erat, Hierosolyma; ut nihil subsidii deesset, cujus beneficio, quod affectatus sum, assequerer.

VER. 13. *Applicans animum meum ad disquirendum & ad explorandum sapientiam de omni eo quod fit sub cœlis (hanc occupationem*

A 3

*malam*